

www.e-rara.ch

Volumem III[-IV] disputationum iuridicarum selectiorum

Genath, Johann Jacob

Basileae, Anno epochae Christianae 1619[-1620]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-20481>

Themata iuris synoptica, sex classibus delineata

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



THEMATA JURIS
SYNOPTICA,
SEX CLASSIBUS DELINEATA:

Quae

Aspirante sanctâ Triade,

Decreto & Autoritate Amplissimi Jcitorum Collegii
inclytæ Basiliens. Academiæ,


Pro summis UTROQUE in JURE privilegiis & honori-
bus consequendis,

Publicè discutienda proposuit

BARTOLEMÆUS VOLCMARUS,

CELLENS. SAXO,

Ad d. 5. Maji, Anno 1613. Horis & loco consuetis.



THEMA I.

RER sex classes a) paucis ut JURISPRUDENTIAM de-
libemus, primùm ea definiri potest, quòd sit Disci-
plina operativa, hominem justiciâ b) ad felicita-
tem humanam informans. Justitia est virtus in politica
vita honestè vivendi, suum cuique tribuendi, neminem
lædendi. c)

a) quarum I. agit de justitia & jure: II. de jure in personis: III. de ju-
re in rebus: IV. de juris acquirendi modis, & causis seu conventionibus: V. de
delictis: VI. de judiciis, actionibus & processu, seu modo agendi. b) eaq; hu-
manâ. c) qua tria sunt juris præcepta, eorumq; primo omnis virtutis usus com-
prehenditur, reliquis tam commutativa quàm distributiva justitia continentur, ita
ut nemo tam in Contractibus quàm Delictis lædendus sit, suum cuiq; tam in hono-
re quàm pœnâ attribuendum.

I I.

Estque Jurisprudentia a) duplex, Civilis b) ac Canoni-
ca: & constat jure publico & privato; hoc singulos cives, il-
lud principaliter ad rei Romanæ utilitatem spectans, Rei-
pub. universæ prodest, c) & pro salute populi mutatur, d) nec

Y



judiciallem subtilitatem admittit; estque à Politicâ in specie sic dictâ diversum. e)

a) *cujus finis est, mentes hominum efficere & conservare sanas, & non nisi secundario ad pœnas procedit.* b) *quo Recessus Imperii, qui in publicis Comitibus proponente & concludente Imp. ad suffragia trium Imperii Statuum concipiuntur & publicantur, cum jure feudali, refero.* c) *quale est jus de Electione, & potestate Imperatoris, de Comitibus, de fœderibus, de legationibus, de jure belli & pacis, de moneta, de matricula Imperii, & similibus.* d) *juxta illud; Suprema Lex, Sa/us populi esto.* e) *Uti enim JCtus ex jure publico & privato causas dirimit & decidit, ita Politici finis est, ut consociario humanarum societas & vita socialis bono iusto instituat, & mediis ad hoc ipsum aptis tam pacis quam belli tempore conservetur.*

I I I.

Jus in personis, est Magistratûs, Domini, Mariti, Patris, Tutoris. Suntque Magistratus, vel Supremus, Imperator nimirum seu Princeps; a) vel Superiores, uti Imperii Status; b) vel Inferiores, quales sunt reliqui. Uti autem Imperatori summa superioritas & præ eminentiæ est attributum, quâ isti quoque superioritas in suis subditis constat; d) inferioribus solâ jurisdictione competente.

a) *qui quia fons est omnis jurisdictionis, magis ipsi Principis nomen quam Magistratus attribui volunt.* b) *Principalem dignitatem habentes, vel ejusdem expertes.* c) *cujus jura Regalia dicuntur, majora & minora, quorum aliqua sibi soli Imperator reservavit, quadam Statibus Imperii & aliis, absq; tamen Monarchici prævalentis Status diminutione, communicavit.* d) *eaq; Territorium sam uni versale, quàm particulare ratione Exemptionis, die hohe Rîst. Lande. oder hohe Lande. Brigitte/ habet annexum, & à jurisdictione longè est diversa.*

I V.

Jurisdictio in genere sic dicta, definitur Potestas jus reddendi in negotiis a) ei, qui publicè præest, in res & personas subjectas competens: & quidem jure Magistratûs, vel lege speciali. Ejusque species sunt, Jurisdictio in specie sic dicta, & Imperium mixtum, vel merum. Specialis jurisdictio videtur definiri potestas cognoscendi & judicandi de causis civilibus. Imperium mixtum est potestas jubendi, & jussui non obtemperantes modicè coercendi in causis civilibus. Imperium merum est potestas cognoscendi, statuendi, & exequendi in causis criminalibus. b)

a) *altr: Jus constitutum negotiis discernendi.* b) *& consistit tam in absolvendo quàm condemnando, & puniendo seu dimittendo. Quamvis autè jurisdictio in civilibus consensu partium licitè prorogabatur; hoc tamen seculo, cum coeperit esse patrimonialis, quæ hereditario modo, ordinario & proprio Marte perpetui dominii & successiois lege acquiritur, in vitis Dominis ea prorogari non potest, sed solent Magi-*
stratus

*Præter ordinarii, maximè Principes, non solum subditis suis ad Judicem alienum ci-
tatis inhibere, ne compareant, sed etiam eorundem causas ad se advocare.*

V.

Hæc jurisdictio quamvis ordinariè superiori in inferio-
rem competit, singulare tamen videtur in privilegio Auf-
tregarum, der *Austräg* / quod Principibus, Comitibus, Baro-
nibus, & Nobilibus Imperii, non autem Civitatibus Libe-
ris, a) non saltè in eminentiam, sed etiam instantiarum ra-
tione concessum est, & respectu extranei agentis, & quando
Magistratus uti pars extrajudicialiter gravat; non autem in
caussa fractæ pacis, &c. locum obtinet. b)

a) nisi hoc ex singulari habeant concessione. An Capitulo sede vacante? Ne-
gatur. b) quibus addunt causam Alimentorum, Dationem & Confirmationem
Tutorum, causam quoq; Matrimoniale, qua tamen ultima apud nostros ad Auf-
tregas pertinere videtur.

V I.

Domini jus uti est in servis, ita maritale jus uxorem respi-
cit, & in amore societateque conjugali consistit. a) Nec patria
potestas b) eò se extendit, ut pater filium occidere possit;
quamvis ordinariâ penâ, si filium immorigerum dolore mo-
tus interfecerit, excusetur. Nec defensionem tollit, ne filius
contra patrem inhumanum moderamine inculpatæ tutelæ
uti possit. c)

a) non in servitia, nec verberibus, qua ingenis aliena sunt. b) qua in pietate,
non atrocitate constat; eamq; hoc operari volunt, ut filio reo, qui à patre judici oblatus
est, pena mitigetur: & qui non denunciat patris vel filii delictum, penam non incur-
rere legi, qua malum denunciari jubet, statuunt. c) modo aliter effigere non possit.

V I I.

Jus in rebus a) sequitur. Sunt autem Res vel divini vel
humani juris: illæ sunt in nullius bonis; b) hæ sunt in patri-
monio vel dominio nostro, & quidem publicæ, c) aut priva-
tæ. Estque hoc jus vel generale, uti Dominium & Possessio,
vel speciale. Dominium est potestas personæ legitima in bo-
nis jure acquisitis, & est plenum, vel minùs plenum: illud
propriè Dominium; hoc vel Proprietatis d) vel Possessionis
dominium dicitur. e)

a) quod vel per modos, vel causas, h. e. conventiones acquiri dicunt. b) vel
extra patrimonium seu dominium nostrum, uti res sacra, sanctæ, religiose. c) Pub-
lica vel communes omnium in mundo, vel certi populi, sive communi usui destina-
tæ, sive ad Magistratum seu fiscum spectantes, vel Universitatis, sive civibus inter
se communes, sive in publico civitatis patrimonio existentis. d) quod habent Do-
mini in rebus feudalibus. e) quod habent Vasalli, Emphyreuta, &c.

Possessio est actus hominis ad utendum legitimo titulo rem tenens: Estque Civilis, & Naturalis. Illa est possessio rei jure dominii; a) hæc verò detentio rei juris dominii expers. b) Suntque possessionis effectus tanti, ut possessor non saltè bono titulo possidere præsumatur, c) sed etiam turbanti propriâ autoritate resistere, & si quid extruxit, destruere in continenti possit.

a) *Et quidem à vassallis, quam habent pleni Domini, vel vassalli n. quam habent Vassalli, Emphyteuta, &c. eaq; præscriptionem dominii possessionis tribuit, non proprietatis. b) quam habent Conductor, Usufructuarius, &c. Aliud est, in possessione esse, qualis est Depositarium, qui rem custodit. c) nisi jus contra possidentem relinquatur.*

IX.

Jus speciale in Rebus est varium: v. g. Feudum, Servitutes, Decimæ, Jus patronatûs, & similia. Feudum est jus in re sub lege mutua fidelitatis constitutum: estque hereditarium, vel non hereditarium. Hereditarium propriè hereditarium, vel propriè non hereditarium. a) Decima est quota fructuum vel lucri portio. b) Jus patronatûs est legitima potestas præsentandi, institutum ad beneficium Ecclesiasticum vacans, & Ecclesiam adversus injuriam & oppressiones defendendi; competit heredibus etiam extraneis in stirpem.

a) *Illud bonis allodialibus, salvo jure Dominico, est adequatum; Et quidem vel absolute, quò ad qualitatem tam successoris quàm successiois, vel quò ad quid, quò ad successionis qualitatem. Propriè non hereditarium dicitur, vel impropriè hereditarium, in quo quidem agnati absq; hereditario jure, filii verò cum qualitate hereditaria succedunt: vel Pactionatum seu ex pacto Et providentiâ, in quo iam filii quàm agnati citra qualitatem hereditariam jure sanguinis succedunt. b) vel ex pradiis, vel operâ hominum debita, unde Et personalis Et realis dicitur, eaq; quia de jure Canon. à Laicis regulariter possideri nequit, nec etiam præscribi poterit: secus de jure Civili. Pradiatis autem ei cedit parocchia, in cujus territorio sita sunt prædia: personalis, in qua quis sacramenta percipit.*

X.

Acquirendi juris modi sunt aut jure Naturali, ut Occupatio, Traditio, Accessio, Specificatio; aut Civili, ut Præscriptio, Successio, & similia, introducti. Præscriptio est actus, quo homo per continuationem possessionis legitimum rei dominium acquirit; a) eaque tam per pignoris capionem, quàm per alios actus etiam extrajudiciales interrumpitur. b) Successio est defuncti hereditatis acquisitio, eaque vel Testamentaria, vel ab intestato, c)

a) *Inter*

a) Inter res usucapere prohibitas, sunt res mera facultatis, quas liberè quis agit, vel non agit, & de quibus certum tempus non competit; hæ præscribi non possunt, sicuti Collecta non petitis non præscribitur, &c. modò alter in possessione contrariâ animo habendi non sit, nec esse possit. Sic ubi ab initio de titulo conductus conflat, ibi jus perpetua colonia non præscribitur, etsi conductor longissimo tempore uniformem pensionem singulis annis numeraverit, cum nemo causam possessionis sua mutare possit, nec debeat. b) Possessio autem per pignorationem vel capturam quaesita vitiosa præsumitur; nec amittit quis possessionem, qui ab alio in viuis detinetur. c) Addunt anomaliam, quando succeditur contra testamentum, & ex patris voluntate simplici. Ad successionem autem Imperii natu major si lege vel consuetudine vocatur, alium præferri non posse rectè dicitur: sicuti & ille, qui ante Imperium vel dignitatem natus est, posterioribus rectè præferitur.

X I.

Causæ acquirendi juris, sunt Conventiones, eæque aut Pacta & Transactiones, aut Contractus. Pactum dicitur Conventio, quâ quis alteri consentienti sine causa & factò ejus aliquid præstandum in se recipit. a) Transactio est Conventio, quâ duo pluresve rem dubiam certo aliquo dato vel re-tento terminant & componunt, b) eamque sub prætextu noviter reperti instrumenti retractari leges prohibent. c)

a) Estq; publicum, quod sit ex causa publica; privatum, ex causa privata. b) & sit vel nudo pacto, vel stipulatione. c) Unde neq; beneficio l. 2. C. de rescind. vendit. annullari posse videtur, quamvis Elect. August. Const. Saxon. diuersum statuatur. Sitamen contra rem judicatam noviter reperta instrumenta allegentur, competere restitutionem, maxime si copia illorum instrumentorum haberi non potuit, & contra sententiam protestatio fuerit interposita, verius putatur.

X II.

Contractus est Conventio utrinque facta, quâ quis propter causam & factum alterius, faciendum aliquid & præstandum in se recipit. Species Contractus est Mutuum, a) cujus natura constat, ut mutuò acceptum in eodem genere, bonitate, quantitate & qualitate reddatur. Undè pro Corporibus invito Creditore nummi minores solvi non possunt, nec valore augmentato defalcatio obtinet, si minuta moneta intrinsecus decrevit. b)

a) quod qui accepit pro solvendo debito, & debitum est solutum, præsumitur id factum ex pecuniâ mutuò acceptâ. b) nec saltem valorem seu bonitatem extrinsecam, sed etiam intrinsecam ad moneta substantiam, qua mutuò data fuit, pertinere verius est.

X III.

In Emptione-Venditione Venditor rem præstare regulariter oportet; sed si tradere procaciâ suâ non vult, Interesse præstando liberatur; a) quod definitur Utilitas, quam ex

re ipsa, de qua agitur, haberemus, vel assequi potuiffemus, si
damnum non dediffet, nec lucrum intercepiffet adversarius; &
ejusque præstatio in casibus certis duplum non excedit, in in-
certis iudicis arbitrio relinquitur. b)

a) sicuti in casu, quando quis unam rem duobus vendidit, cui tradita fuit,
etiam si sit posterior, rem retinet, & alteri Interesse præstatur. b) Casus certis di-
cuntur, qui certam quantitatem vel naturam habent, qui constant in determinato
pondere, numero, & mensurâ, ut in Emptione-Venditione, Locatione-Conductione,
& similibus, istosq; duplo simplicum contineri voluit communiter. Casus incerti sunt,
qui certam quantitatem non habent, v. g. in obligationibus faciendis, & similibus.
Hodiè ex mutuo si usura promiffa non sunt, à tempore mora ex centum debentur
quinq; nisi creditor Interesse deducere velit.

X I V.

Locationis species distincta est Emphyteusis, a) in qua si
quis decedit pluribus heredibus relictis, & unus de portione
sua canonem non solvit, pars tantum illa ad Dominum rever-
titur, non tota Emphyteusis, cum sit dividua, in qua singuli
pro partibus hereditariis tenentur; b) estque hæc Emphy-
teusis à censitico contractu diversa, ita ut in dubio magis hic,
quam illa præsumatur: c) in illa transit saltè dominium
possessionis, in hoc etiam dominium proprietatis venit,
ut penes concedentem nihil juris præter annuam pensio-
nem maneat.

a) eaq; est Civilis & Ecclesiastica: quam qui solvit cum collectis Ecclesiæ,
de jure non tenet temporali Domino ad tributa fiscalia, nisi sint talia, qua ad de-
fensionem publicam, uti Ant. q. jur. Lur. censetur colliguntur, multi volunt. b) ne
unus alterius culpam præstare teneatur. c) Sic si quid est concessum sub aliquo
annuo censu siue aliqua annua quantitate, ex eo magis danda est Emphyteusis,
quam Feudum.

X V.

De Delictis pauca subjiciam, in quorum cognitione, ob
magnum periculum & irreparabile-damnum, singulari o-
pus est cautione. a) Variè autem in delinquentibus fun-
datur jurisdictio, nimirum ratione loci, originis, domicilii,
vel ubicunque reus reperitur. Si quod autem delictum in
via publica commissum est, hodiè ejus cognitionem Super-
rioritati, non Jurisdictioni adhærere, & ad Regalia perti-
nere cenfeo. b)

a) nec ea imperitis iudicibus, opificibus, &c. sed prudentibus & ll. peritis de-
mandanda est: nec minori prudentiâ & studio vitium delicta quam aliorum cogno-
sci debent; iudicium enim omnibus æquum esse iubetur. b) Dicitur autem via
publi-

publica, quã vulgò commentur, & cujus solum publicum est. Si igitur solum privatum erit, per quam via transit, cognitionem jurisdictioni adharere videtur.

XVI.

Si autem delictum in confinio est commissum, ab illo Magistratu vindicatur, in cujus territorio vel jurisdictione delinquens sive gladium strinxit, sive ictum perfecit; a) quòd si omninò dubium fuerit, ad utrumque cognitio & vindicatio pertinebunt. b) Sepeliri autem interfectus debet, ubi caput vel major pars capitis vel corporis jacere videtur. c)

a) quòd in conjecturis partim ex lapsu interfecti, partim ex vulneris loco dignoscitur. b) quo casu valebit Regula: Quicquid in confinio est, ad utrumque confinem communiter spectat. Quæ tamen his vigilantia per præventionem interdum tolli potest. c) ita ut dignus ad se minus dignum trahatur.

XVII.

Pervenit Judex ad Delictorum cognitionem per Accusationem & Inquisitionem. Si confessio rei libera subsecuta fuerit, vel probationes luce meridianã clariores obvenerint, justè vindicatio instituitur. Tortura autem est res fragilis & periculosa, ac proindè ante omnia de facto constare debet, deindè sufficientia ac verisimilia indicia a) præcedant.

a) quæ si aliundè non verificantur, testibus duobus sunt probanda. Istis autem non annuero fugam Rei, nisi fortè quæ fiat carcere effracto, nec effluxionem sanguinis ex corpore occisi, neq; mulierculam in aquis supernatationem, multò minùs testimonium ab incantatore desumptum; testem autem unicum omni exceptione majorem admitto.

XIX.

Inter Crimina maximum & atrocissimum est, quod dicitur Læsæ Majestatis, divinæ & humanæ. Illud dicitur Blasphemia; a) hoc principaliter in Imperatorem seu summum Principem, Imperii Statum & Electores, consequenter in Principes Imperii, & Imperatoris Consiliarios committitur; & habet quemlibet ordinarium Judicem competentem. b)

a) & mortis pœnam meritiò meretur. b) Quando igitur ab Imp. Status quispiam hujus criminis reus accusaretur, Camera, si ab alio, Austregæ regulariter Judex competens forent: quamvis Imperatores non semel coram Statibus Imperii in Comitibus Status accusarunt.

XIX.

Ultima classis in Judiciis, Actionibus, & Processu seu Modo agendi consistit. Judiciis partes duæ sunt; Personæ & Quæstio facti vel juris. Forma est vel in jure seu titulo agendi

agendi & excipiendi, a) vel modo. b) Actiones aliæ dicuntur Personales, aliæ Reales. c) Modus agendi consistit vel in Præparatoriis, d) Constitutoriis, e) vel Connexis, f) & denique Peremptoriis. g)

a) h.e. in ipsis actionibus sive exceptionibus. b) h.e. ipso processu prima vel secunda instantia. c) à quibus Præjudiciales differunt. d) uti sunt actionis editio, in jus vocatio, &c. e) uti est Litis contestatio, qua definitur iudicii accepti utriusq; facta professio testibus adhibitis. f) quò spectant Cautio, qua quia dilatoria est, ante litem contestatam peti debet; Reconventio, Dilatio, Juramentum Calumnia, Probatio, &c. g) uti sunt Sententia & Executio, qua per Appell. Revision. Supplicat. Restitut. sapius differuntur, vel omnimodò tolluntur.

X X.

Appellatio est provocatio à iudice inferiori ad superiorem a) gradatim vel à sententia judiciali, vel decreto extrajudiciali facta. b) Quibus autem in causis appellare non licet, in iisdem Revisio, Supplicatio, c) Restitutio, &c. conceduntur: & interponitur Revisio eodem anno, quò lata est sententia, modò ad primum Maji à die insinuationis menses 2. superflint; sententiamque suspendit, ne executioni hodiè mandetur, nisi in causa relaxandi captivi & alimentorum.

a) Undè à Principe malè informato, ad melius informandum appellatio nulla videtur. b) etiam in matrimonialibus ad Camera Imp., maximè si quaestiones interveniunt merè facti. Nullitatis autem arguere si quis velit sententiam matrimonialis causæ, processus decerni in Camera dubium non est. Sic potest quis acceptare capitula sententia pro se facientia, & ab iis, qua contrà faciunt, appellare. Constituta quoq; certà pecunia summâ, infra quam appellare prohibitum, causæ injuriarum appellatio non interdicitur: quò etiam annuos redites, aliæq; jura incorporalia referunt. c) regulariter intra decem dies, apud Imperatorem verò intra biennium admittitur, &c.

Μόνη τῶ Θεῷ ἡ δόξα.

VOLUMINIS TERTII
DISPUT. JURID.
FINIS.

